



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Sententia probabilior. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

non dari in Angelo. Nam quamvis essentia ipsius angeli sit quadam similitudo Dei, & in ea Angelus Deum cognoscat non est tam exacta ut possit in ea Deus perfecte videri, & sicuti est. ob id tamen hic non negat posse dari speciem intelligibilem tanquam principium eliciens: & in hunc sensum hunc locum, & alia eiusdem S. Thom. explicamus sup. dist. illa cap. 1. & 2.

Deinde notanda est Doctrina, quam habet S. Doctor in hoc articulo, nempe lucem existentem in oculo per seipsam, non per aliquam speciem sui videri. Quam ego difficilem satis arbitror esse. Nam lux, quæ in oculo est, nec perfecte, nec per aliquam speciem videri potest: alioqui videretur corpus ipsius pupillæ lucidum: ac proinde figura, & quantitas illius, quæ est quasi sensibile commune, quod ratione proprii (sensibilis, nimirum lucis aut coloris semper videtur: sed nemo videt quantitatem, figuram, & situm suæ pupillæ: ergo nec lucem. Sed de hac re fufius tractant Philoſophi 2. de anima capit. 7.

DISPUTATIO CCVI.

Quo pacto Angelus naturaliter Deum cognoscat.

Dua Scholasticorum opiniones, cap. 1.
Sententia probabilior, cap. 2.

CAP. I.

Dua Scholasticorum opiniones.

POSSET hoc disputari, angelus intelligat Deum per speciem naturalem propriam eius, notitia quadam propria & quidditativa, quæ non sit intuitiva, sicut est beatorum, nisi de hac re iam satis superque dictum esset supra disputatione 40. De visione autem Dei in universum, in qua beatitudo rationalis creaturæ posita est, disputat, 36. & seqq. differuimus. Nunc igitur solum erit controuersia de modo, quo angelus in via Deum cognoscit notitia viatoris, non quidem propria & quidditativa: hæc enim nullo modo communicari ei potest, ut disput. illa diximus: sed notitia imperfecta, qualem nos etiam de Deo habemus. In qua difficultate variant quoque Scholastici, Omnia vero opinione Scoti quem allegauimus disputat. illa, asserentis, Deum in via cognosci ab angelo per propriam, & quidditativam speciem, prima sententia sit eorum, qui dicunt, Deum ita ab Angelo cognosci in via, ut essentia Angeli sit principium eliciens cognitionem. Hanc sententiam sequuntur recentiores, eamque amplecti videntur Caietanus in hunc articulum. §. ad secundam vero objectionem, & Ferrarius 2. cont. gentes cap. 98. §. ad huius evidentiam, & Capreol. in 2. distinct. 3. quest. 2. artic. 1. conclusione 5. in sup. probationis. Asserunt enim, essentiam Angeli esse principium per modum speciei representantis ad eliciendam cum intellectu cognitionem Dei: ita tamen, ut ipsa sit etiam cognit. ta: quo differt ab alijs speciebus, quibus intellectus vitur ut principio intellectus: quia aliter ita sunt principium, ut non cognoscantur: essentia autem Angeli utrumque habet: non quidem quia ipsa essentia, ut cognita, sit ratio cognoscendi Deum: sed quia simul est principium cognoscendi Deum, ut species, & est cognita. Pro hac etiam sententia refertur Henricus quodlib. 4. quest. 7. Vasquez. in 1. p. Tom. 2.

existimo tamen, eam docuisse. Allegatur etiam S. Thom. in hoc articulo, qui oppositum plane asserit, ut infra videbimus.

Probatum autem potest primum, nisi angelus per suam essentiam, tanquam per principium eliciens cognitionem, cognosceret Deum; non posset aliter cognoscere ipsum, quam per illam vel per alios effectus prius cognitos: quare eodem modo angelus cognosceret Deum, quo nos etiam ipsum in via intelligimus: oportet autem alium perfectiorem modum cognoscendi Deum angelo tribuere, quam nobis: & alius non videtur, quam supra dictus: ergo dicendum est, eodem modo Deum ab angelo cognosci. Deinde, si eodem modo angelus Deum cognosceret, quo nos cognoscimus, sequeretur, Angelum cognitionem Dei per discursum comparare, nempe ex cognitione sui, vel aliarum rerum noticiam Dei deducendo: atqui Angelus non discursat, teste Sando Thom. infra quest. 57. artic. 3. ergo dicendum est, alio modo Deum ab angelo, quam à nobis intelligi. Quare Scotus in 2. distinct. 3. quest. 9. §. ad questionem, supponens ex mente Sancti Thomæ, Deum non cognosci ab angelo per speciem, sed per essentiam ipsius angeli tanquam per obiectum prius cognitum, colligit contra eundem S. Thom. angelum in sua cognitione discurrere.

Secunda sententia est Marsij in 1. quest. 7. artic. 1. parte 2. conclusione 8. ubi affirmat, Deum cognosci ab Angelo per speciem ingentiam, non quidem propriam & quidditativam ipsius Dei, sicut asserit Scotus, sed alio modo: hæc autem opinio non alio modo videtur probari, quam quia eadem videtur probari, quam quia eadem videtur esse ratio Dei & aliarum rerum: ut ab angelo cognoscantur.

CAP. II.

Sententia probabilior.

MAGIS probatur eorum opinio qui asserunt, Angelum per suam essentiam tanquam per rationem prius cognitam comparare sibi noticiam Dei. Ita docent Bonau. in 2. dist. 3. p. 2. ar. 2. q. 2. in solutionibus Argum. Bassol. q. 3. ar. 2. §. Contra istam. Ric. in 2. dist. 4. art. 1. q. 1. & 2. (tamen Bassol. concedat etiam cum Scoto, angelo dari posse noticiam Dei quidditativam per propriam speciem) consentit etiam S. Tho. in hoc articulo, inquit enim, rem tribus modis cognosci posse, primo, per suam essentiam, sicut essentia diuina videtur à Beatis. Secundo, per similitudinem rei, quæ est in facultate cognoscente, sicut color videtur ab oculo per suam speciem: Tertio per speciem resultantem in speculo: putat enim S. Doctor videri in speculo speciem coloris refractam in ipso, & hoc modo inquit cognosci Deum ab angelo per similitudinem sui refractam in ipsa essentia Angeli quasi in speculo quasi dicat, videtur Deus ab angelo, dum Angelus videt suam essentiam veluti speciem, & similitudinem quandam Dei. Habemus igitur, ex mente S. Thom. Deum ab angelo cognosci, dum angelus suam essentiam intelligit, quæ est similitudo quadam Dei, sicut species in speculo: quæ sanè sententia nobis probatur, tamen exemplum non placeat: de quo iam diximus supra disput. 38. capit. ultimo.

Pro explicatione autem huius opinionis notandum est, difficultatem præsentem dupliciter intell.

Vu 4

intell.

intelligi posse primū ex quibus rebus, vel quare ratione Angelus cognoscat esse Deum in rerum natura autorem & gubernatorem omnium; deinde cum Angelus non habeat in via proprium & quiditativum conceptum Dei, sed ipsam intelligat instar aliarum rerum, sicut nos intelligimus spiritualia instar corporalium; per eius similitudinem Angelus Deum cognoscat; utrum per conceptum suæ essentia, an aliarum rerum. Circa præterea modum existimo, Deum sufficienter ab Angelo cognosci ex sua, vel cuiuscunque alterius rei essentia: ita ut ex re qualibet recte intelligat esse unum ens supremum autorem, & gubernatorem omnium, hoc autem absque distinctione eo ipso quod videas quamcumque essentiam creatam videt ipsam non à se, sed ab alia pendere: nam, ut recte admonet *Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. artic. 3. ad 1. argumentum contra 6. conclusionem*, & indicat, *Sanctus Thomas infra quæstionem 58. articulo 3. discursus est*, quando ex una noticia unius rei colligitur alia, quæ antea ignorabatur, vel saltem quoties ex una noticia alia simpliciter colligitur. Cum igitur angelus uno intuitu cognoscat suam essentiam, & cuiuscunque alterius rei creatæ, non à se ipsa dependentem, sed ab alio, hoc ipso cognoscit, esse quoddam ens supremum, à quo creata omnia pendunt; nec indiget nova aliqua noticia deducta ex priori, ut Deum cognoscat: quare nec indiget discursu aliquo.

Circa posteriorem sensum quæstionis, cum Angelus non videat Deum, sicuti est, & per propriam speciem, sequitur debere habere notitiam illius per species aliarum rerum aut spiritualium, quas videt, aut etiam corporalium, sicut nos per alienas species Deum, & spiritualia cognoscimus. Quo fit, ut falsa sit eorum sententia, qui dicunt essentiam Angeli ipsi Angelo deserti ut speciem intelligibilem, non autem ut rem cognitam, ad elicendam cognitionem Dei: nam cum Angelus non cognoscat Deum per propriam speciem & conceptum, sed per speciem & conceptum alienum; sequitur, prius debere elicere cognitionem alterius rei, cuius instar Deum cognoscat: ac proinde essentiam suam sibi non deservire ut speciem ad elicendam cognitionem Dei, sed ut obiectum cognitum, quando instar sui Deum intelligit: potest enim & alijs rebus ad hanc cognitionem uti.

Cæterum laborant aliqui Theologi non parum in ea quæstione, utrum Angelus per suam essentiam melius cognoscat Deum, an per aliarum rerum naturas? facile tamen responderi posset cum distinctione. Aut enim sermo est de cognitione Dei quoad quæstionem an est, & hoc pacto æquè bene videtur Deus ab angelo cognosci per aliarum rerum cognitionem, & per sui ipsius essentiam prius cognitam: nam cum Deus cognoscatur quoad quæstionem an est, per hoc, quod cognoscitur res quæcumque creata non à se, sed ab alio pendere, hoc autem æquè bene innotescat angelo de alijs rebus creatis, atque de sua essentia, hac ratione non melius angelus per suam naturam, quam per essentias aliarum rerum cognoscit Deum quoad quæstionem, an est. Aut loquimur de modo, quo Angelus Deum cognoscit instar rerum creatarum & hoc pacto multo melius Angelus Deum cognoscit ex pluribus alijs creaturis, quam ex seipso solo: nam per plures creatu-

ARTIC. I.

ras plures de Deo perfectiones concipiet, Ethæ-
satis de tota hac quæst. S. Thomæ.

QVÆSTIO LVII.

De cognitione Angelorum respectu rerum
materialium.

DEinde quæritur de his materiali-
bus, quæ ab angelis cognoscuntur,
Et circa hoc quærantur quinque,

ARTICVLVS I.

Utrum Angeli cognoscant res materiales.

AD primum sic proceditur. Vide-
tur, quod angeli non cognoscant
res materiales. Intellectum enim
est perfectio intelligentis,
Res autem materiales non possunt esse
perfectiones angelorum, cum sint infra
ipsos. Ergo angeli non cognoscunt res
materiales.

2. Præterea, Visio intellectualis est eo-
rum quæ sunt in anima per sui essentiam
ut dicitur in glo. 2. ad Cor. 12. Sed res ma-
teriales non possunt esse in anima homi-
nis, vel in mente angeli per suas essentias.
Ergo non possunt intellectuali visione cog-
noscī, sed solum imaginaria, qua apprehen-
duntur similitudines corporum: &
sensibili, quæ est de ipsis corporibus. In
angelis autem non est visio imaginaria &
sensibilis, sed solum intellectualis. Ergo an-
geli materialia cognoscere non possunt.

3. Præterea. Res materiales non sunt
intelligibiles in actu, sed sunt cognoscibi-
les apprehensione sensus & imaginationis,
quæ non sunt in angelis. Ergo angeli ma-
terialia non cognoscunt.

Sed contra, quicquid potest inferior
virtus, potest virtus superior. Sed intel-
lectus hominis, qui est ordine naturæ in-
fra intellectum angeli, potest cognoscere
res materiales. Ergo multo fortius intel-
lectus angeli.

Respondeo dicendum, quod talis est
ordo in rebus, quod superiora in entibus
sunt perfectiora inferioribus, & quod in
inferioribus continetur deficienter & par-
tialiter & multipliciter, in superioribus
continetur eminenter & per quandam to-
talitatem & simplicitatem. Et ideo in Deo
sicut in summo rerum vertice omnia super-
substantialiter præexistunt secundum ipsum
autem simplex esse, ut Dion. dicit in li. de di-
n. Angeli autem inter ceteras creaturas
sunt Deo propinquiore & similiores. Vnde
de & plura participat ex bonitate divina
& perfectius, ut Dion. dicit 4. c. cæli hier.
Sic igitur omnia materialia in ipsis ange-
lis præexistunt, simplicius quidem & im-
materialius, quam in ipsis rebus multi-
plicius autem & imperfectius quam in
Deo.

Capreolus,
8. Thom.

Angelum
habere noti-
tiam Dei
per suam es-
sentiam prius
cognitam
probat.

Deo. Omne autem quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est. Angeli autem secundum suam naturam sunt intellectuales: & ideo sicut Deus per suam essentiam materialia cognoscit, ita angeli ea cognoscunt per hoc, quod sunt in eis per suas intelligibiles species.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis secundum speciem intelligibilem quam habet in intellectu. Et sic species intelligibiles, quæ sunt in intellectu angelorum, sunt perfectiones & actus intellectus angelici.

Ad secundum dicendum, quod sensus non apprehendit essentias rerum, sed exteriora accidentia tantum: similiter neque imaginatio. Sed apprehendit solas similitudines corporum. Intellectus autem solus apprehendit essentias rerum. Vnde in 3. de Anima dicitur, quod obiectum intellectus est quod quid est: circa quod non errat, sicut neque sensus circa proprium sensibile. Sic ergo essentia rerum materialium sunt in intellectu hominis: vel Angelorum, ut intellectum est in intelligente, & non secundum esse suum reale. Quædam vero sunt quæ sunt in intellectu vel in anima, secundum utrumque esse. Et utrumque est visio intellectualis.

Ad tertium dicendum, quod si angelus acciperet cognitionem rerum materialium ab ipsis rebus materialibus, oporteret quod faceret eas intelligibiles actu abstrahendo eas: non autem accipit cognitionem earum à rebus materialibus sed per species actu intelligibiles rerum sibi connaturales, rerum materialium, notitiam habet, sicut intellectus noster secundum species quas intelligibiles facit abstrahendo.

Conclusio est affirmans.

ARTICVLVS II.

Utrum Angeli cognoscant singularia.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod angelus singularia non cognoscat. Dicit enim Philosophus in 1. Post. quod sensus est singularium: ratio vero vel intellectus vniuersaliū. In angelis autem non est vis cognoscitiua, ut ex superioribus patet. Ergo singularia non cognoscunt.

2. Præterea. Omnis cognitio est per assimilationem aliquam cognoscentis ad cognitum. Sed non videtur quod possit esse aliqua assimilatio angeli ad singulare in quantum est singulare, cum angelus sit immaterialis, ut supra dictum est, lingu-

laritatis vero principium sit materia. Ergo Angelus non potest cognoscere singularia.

3. Præterea. Si angelus scit singularia aut per species singulares aut per species vniuersales. Non per singulares, quia sic oporteret quod haberet species infinitas. Neque per vniuersales, quia vniuersale non est sufficiens principium cognoscendi singulare in quantum est singulare, cum in vniuersali singularia non cognoscantur nisi in potentia. Ergo angelus non cognoscit singularia: Sed angeli custodiunt homines singulares, secundum illud psal. 90. angelis suis mandauit de te, &c. Ergo angeli cognoscunt singularia.

Respondeo dicendum, quod quidam totaliter subtraxerunt angelis singularium cognitionem. Sed hoc primo quidem derogat catholicæ fidei, quæ ponit hæc inferiora administrari per angelos secundum illud Hebr. 1. Omnes sunt administratores spiritibus. Si autem singularium notitiam non haberent, nullam prouidentiam habere possent de his quæ in hoc mundo aguntur, cum actus singularium sint. Et hoc est contra illud quod dicitur Eccles. 5. Ne dicas coram angelo non est prouidentia. Secundo etiam derogat philosophiæ documentis secundum quæ ponuntur angeli motores celestium orbium: & quod eos moueant secundum intellectum & voluntatem. Et ideo alij dixerunt quod Angelus habet quidem cognitionem singularium: sed in causis vniuersalibus, ad quas reducuntur particulares omnes effectus sicut si astrologus iudicet de aliqua eclipsi futura per dispositiones celestium motuum. Sed hæc positio prædicta inconuenientia non euadit: quia sic cognoscere singulare in causis vniuersalibus non est cognoscere ipsum ut est singulare: hoc est, ut est hic & nunc. Astrologus enim cognoscens eclipsim futuram per computationem celestium motuum scit eam in vniuersali, & non prout est hic & nunc, nisi per sensum accipiat. Administratio autem & prouidentia & motus sunt singularium, prout sunt hic & nunc. Et ideo aliter dicendum est quod, sicut homo cognoscit diuersis viribus cognitiuis omnia rerum genera intellectu quidem vniuersalia & immaterialia, sensu autem singularia & corporalia: ita angelus per unam intellectiuam virtutem utraq; cognoscit. Hoc enim rerum ordo habet, quod quanto aliquid est superius, tanto habeat virtutem magis vnicam & ad plura se extendentem, sicut in ipso homine patet quod sensus communis, qui est superior quam

sensus proprius, licet sit vnica potentia, omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur: & quædam alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi & dulcis. Et simile etiam est in alijs considerare. Vnde cum angelus naturæ ordine sit suprahominem, inconueniens est dicere, quod homo quacunque sua potentia cognoscat aliquid, quod angelus per vnā vim suā cognoscit, scilicet intellectum non cognoscat. Vnde Aristoteles pro inconuenienti habet, vt item quam nos scimus, Deus ignoret, vt patet in 1. de Anima, &

1. de Anima
text. 80. 10. 2
Lib. 3. Met.
text. 15. 10. 3

in 3. Metaphys. Modus autem quo intellectus angeli singularia cognoscit, ex hoc considerari potest, quod sicut à Deo affluunt res vt subsistant in proprijs naturis, ita etiam vt sint in cognitione angelica. Manifestum est autem quod à Deo effluit in rebus non solum illud quod ad naturā vniuersalem pertinet, sed etiam ea quæ sunt indiuiduationis principia. Est enim causa totius substantiæ rei, & quantum ad materiam & quantum ad formam. Et secundum quod causat, sic & cognoscit, quia scientia eius est causa rei, vt supra ostensum est. Sicut igitur Deus per essentiam suā, per quam omnia causat, est similitudo omnium, & per eam omnia cognoscit non solum quantum ad naturas vniuersales, sed etiam quantum ad singularitatem: ita angeli per species à Deo inditas, res cognoscunt: non solum quantum ad naturam vniuersalem, sed etiam secundum earum singularitatem, in quā sunt quædam præsentationes multiplicatæ illius vnitæ & simplicis essentiæ.

14. art. 8

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de intellectu nostro, qui non intelligit res nisi abstrahendo, & per ipsam abstractionem à materialibus conditionibus id quod abstrahitur fit vniuersale. Hic autem modus intelligendi non conuenit angelis, vt sup. dictum est. Et ideo non est eadem ratio.

1. art. 4.
13. 55. a. 2.

Ad secundum dicendum, quod secundum suā naturam angeli non assimilantur rebus materialibus, sicut assimilatur aliquid alicui secundum conuenientiam in genere vel in specie aut in accidente, sed sicut superius habet similitudinem cū inferiori, vt sol cum igne. Et per hunc etiam modum in Deo est similitudo omnium & quantum ad formam, & quantum ad materiam: in quantum in ipso præexistit, vt in causa quicquid in rebus inuenitur. Et eadem ratione species intellectus angeli, quæ sunt quædam derivatæ similitudines à diuina essentia, sunt simi-

ARTIC. II.

litudines rerum non solum quantum ad formam, sed etiam quantum ad materiam.

Ad tertium dicendum, quod angeli cognoscunt singularia per formam vniuersales, quæ tamen sunt similitudines rerum, & quantum ad principia vniuersalia, & quantum ad indiuiduationis principia. Quomodo autem per eandem speciem possint multa cognosci, supra dictum est.

Notationes circa articulum.

Conclusio est affirmans in his duobus articulis pauca supersunt notanda, præterea, quæ in questionibus superioribus notauimus, videlicet an per species intelligantur ab angelis rebus hæ species sint à rebus acceptæ, an ingentæ angelis & simul cum eis creatæ? Duo igitur nunc notanda sunt. Vnum est, licet in Schola S. Thome singularia non cognoscantur à nobis directe per intellectum, sed tantum per sensum, tamen de angelis nullam esse controuersiam, sed apud omnes certum esse, directe & proprio conceptu singularia etiam materialia ab angelis cognosci. Quid vero de nostro intellectu in hac re dicendum sit, non est hoc loco examinandum.

Alterum est, rectè posse angelum per eandem speciem secundum rem intelligere & vniuersalia, & singularia, si aliud non obstat. Supra enim disputatione 20. ostensum est, eadem specie secundum rem posse ab angelo plura cognosci, & que representari. Dixi, si aliud non obstat: nam vt monstrauit disputat. 117. capit. 3. nec Angelus, nec intellectus videns res singulares proprio quiditatio conceptu abstrahit rationem communē aut generis, aut speciei: quia cum penetrat rem sicut est communem & confusam conceptum, illius habere dequit.

ARTICVLVS III.

Utrum Angeli cognoscant futura.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Angeli cognoscant futura. Angeli enim potentiores sunt in cognoscendo quā homines. Sed homines aliqui cognoscunt futura multa. Ergo multo fortius Angeli.

2. Præterea. Præsens & futurum sunt differentię temporis. Sed intellectus Angelus est supra tempus, patet: rur enim intelligentia æternitati, id est, æuo, vt dicitur in libr. de causis. Ergo quantum ad intellectum Angelus non differunt præteritum & futurum, sed indifferenter cognoscit vtrumque.

3. Præterea. Angelus non cognoscit per species acceptas à rebus, sed per species innatas vniuersales. Sed species vniuersales æqualiter se habent ad præteritum & futurum. Ergo videtur quod Angeli indifferenter

ferenter cognoscant præterita & præsentia & futura.

4. Præterea. Sicut aliquid dicitur distans secundum tempus, ita secundum locum. Sed angeli cognoscunt distantiam secundum locum. Ergo etiam cognoscunt distantiam secundum tempus futurum.

Sed contra. Id quod est proprium signum diuinitatis, non conuenit angelis. Sed cognoscere futura est proprium signum diuinitatis, secundum illud Isai 12. Annūciat quæ ventura sunt in futurum. & scimus quod dii estis vos. Ergo angelus non cognoscunt futura.

Respondeo dicendum, quod futurum dupliciter potest cognosci. Vno modo in causa sua. Et sic futura quæ ex necessitate ex causis suis proueniunt per certam scientiam cognoscuntur, ut solem oriri cras. Quæ vero ex suis causis proueniunt ut in pluribus, cognoscuntur non per certitudinem, sed per coniecturam, sicut medicus præcognoscit sanitatem infirmi. Et iste modus cognoscendi futura adest angelis, & tanto magis quam nobis, quanto magis rerum causas & vniuersalia & perfectius cognoscunt: sicut medici, qui acutius vident causas, melius de futuro statu ægritudinis prognosticantur. Quæ vero proueniunt ex causis suis, ut in paucioribus penitus sunt ignota, sicut casualia & fortuita. Alia modo cognoscuntur futura in seipsis: & sic solius Dei est futura cognoscere; non solum quæ ex necessitate proueniunt, vel ut in pluribus, sed etiam casualia & fortuita. Quia Deus videt omnia in sua æternitate: quæ cum sit simplex toti tempori adest, & ipsum concludit. Et ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia, & videt omnia ut in seipsis sunt: sicut supra dictum est, cum de Dei scientia ageretur. Angelicus autem intellectus & quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate diuina. Vnde non potest aliquo intellectu creato cognosci futurum, ut est in suo esse.

Ad primum ergo dicendum, quod homines non cognoscunt futura, nisi in causis suis, vel Deo reuelante. Et sic angeli multo subtilius futura cognoscunt.

Ad secundum dicendum, quod licet intellectus angeli sit supra tempus, quo mensurantur corporales motus: est tamen in intellectu angeli tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum: secundum quod dicit Augustinus 8. sup. Genes. ad litter. quod Deus mouet spirituales creaturas per tempus. Et ita

cum sit successio in intellectu angeli, non omnia quæ aguntur per totum tempus sunt ei præsentia.

Ad tertium dicendum, quod licet species quæ sunt in intellectu angeli, quantum est de se, equaliter se habeant ad præsentia, præterita, & futura: tamen præsentia præterita & futura non æqualiter se habent ad rationes. Quia ea, quæ præsentia sunt, habent naturam per quam assimilantur speciebus, quæ sunt in mente angeli. Et sic per eas cognosci possunt, sed quæ futura sunt, nondum habent naturam per quam illis assimilantur. Vnde per eas cognosci non possunt.

Ad quartum dicendum, quod distantia secundum locum sunt in rerum natura, & participant aliquam speciem cuius similitudo est in angelo. Quod non est verum de futuris, ut dictum est. Et ideo non est simile.

Explicatio articuli.

P R I M A conclusio est. *Futura quæ ex necessitate eueniunt, certo ab angelis cognosci possunt in causa.*
 Secunda conclusio. *Futura quæ eueniunt frequenter cognoscuntur ab angelo coniectura eo modo, quo medicus cognoscit ægritudinis alicuius euentum, ut sanitatem vel mortem: & tanto perfectius quanto perfectius, quam medicus cognoscit causam.* Tertia conclusio. *Futura quæ raro eueniunt, penitus ignota sunt angelo etiam in causa: & in seipsis a nullo alio intellectu: quam diuino cognosci possunt: ipse enim omnia habet præsentia in sua æternitate.*
 Circa secundam vero, & tertiam conclusionem obseruandum est, eas intelligi non solum de effectibus contingentibus proueniens ex solo libero arbitrio, sed etiam de effectibus contingentibus & proueniens ex causis naturalibus per accidens concurrentibus: utroque enim modo euentus contingentes accidere possunt frequenter, & raro: nam ex vno concursu naturalium causarum potest aliquid euenire frequenter ex alio vero euenire raro. Eodem modo ex libero arbitrio interdum accidere potest aliquid raro, interdum etiam frequenter. nam & homines voluntate sua aliqua raro operantur, & aliqua frequenter: homo enim hoc aut illo modo affectus in hac, vel simili occasione frequenter certo modo operatur. Sed circa utramque conclusionem utroque modo intellectam erunt difficultates examinandæ.

DISPUTATIO CCVII.

An futura contingentia ex solis causis naturalibus prouenientia, ab Angelo cognosci possint.

Hæc contingentia non posse ab Angelis certo cognosci, non pauci docuerunt, cap. 1.
Euentus contingentes non pendentes villo modo ex arbitrio certo ab Angelo cognosci verior sententia est, cap. 2.
Diluantur argumenta prioris sententia, cap. 3.